Quaestio medica Cardinalitiis Disputationibus agitanda In Scholis Medicorum

Die Jovis 16 April. Clariss. Viro D. Joanne le Bay D. M. Moderatore prudentissimo.

An vena sectio et purgatio vere utiliores?

Venae sectio praesentissimum tutissimumque, Plethorae remedium, in Cacochymia praesertim biliosa, vel etiam in utriusque absentia locum habens cum humores nunc ex aequo nunc corruptos prius evacuat: morbi specie, magnitudine, viribus robore suadentibus nunquam differenda. In magnis Inflammationibus ad sanguinis in colore aut consistentia mutationem, in vehementissimis doloribus ad ipsorum mitigationem, omnibus quidem anni partibus utilis, at vere temperato, sicco, et hiemis plerumque longe utilissime, et securissime celebrari potest.

Haec sanguis in partes natura vel casu imbecillas decumbens, in contrarias sed non ita longe remotas commodius, et expeditius viribus potentibus revellitur, easdem jam obsidens in vicinas derivatur: Haemorrhoides et menses detracto ex poplite aut malleolo pede sanguine provocantur; morbi etiam frigidi ex humorum coacervatione et motu vere aut aestate repetere soliti praecaventur, universales quidem sanguinis ex qualibet vena detractione, particulares vero ex ea quae a loco affecto longissime distat.

Purgatio venae sectione nimis severa, et in utriusque pari necessitate postponenda virtute medicamenti calidi non calore tamen, nec fuga vacui, sed tota substantia non tenues prius quam crassos sed familiares humores communes duntaxat attrahentis, nec dejicientis aestate et in doloribus supra septum transversum per superiora hyeme et in inferius affectibus per inferiora fit expeditius. Haec cum omni tempore naturae molesta sit praesertim in corporibus sanis in quibus carnium colliquationem, tormina, et animi defectiones excitat, vere tamen mitissima esse solet.

Huius in praesentibus morbis valde acutis et materia turgente statim initio, in remissioribus praemissa corporis et humoris praeparatione omnibus quidem anni temporibus aeque necessarius usus, vere tamen in imminentibus praesertim aminidefaviis opportunitas et securitas major. Hac vere Epilepsia, Melancholia, arthritis, caeterique affectus vere repetentes, sic febris tertiana, caeterique biliosi aestatis initio exacerbari soliti declinantur.

Caeteris anni temporibus sua sunt incommoda graviora. Aestatis calor vires exolvens maioremque tripliciis substantiae dissipationem, pleniore cibo reparandam excitans, venae sectionem humores ad habitum corporis evocans purgationem dehortatur. autumni inaequalitas vires perturbans, et eiusdem temperies paucum sanguinem generans, utramque vacuationem minus securam reddunt. Hyems et concreti humores attrahenti medicamento vix cedunt, vasis praesertim frigoris angustioribus effectis, sic sanguis refrigeratus et in imum corpus revocatus non nisi cum violentia, et nimia venae sectione ad habitum reduci potest.

Ergo vena sectio et Purgatio vere utiliores.

F.M.P. BIBL.

Hac Ægidius Heron Lutetianus. 1573.